

*Cap. 3.
Frictionis sex
simplices spe-
cies & earum
vires.*

*Frictionis tria
principia co-
moda.*

*Frictionis som-
num conciliat.*

*Cap. 3.
Frictionis ven-
tris cauenda.
Cap. 3.*

secundo de Tuenda sanitate, cuius sex sunt simplices species: quarum tres ad quantitatem, tres ad qualitatem referuntur, ut Aueroes refert. Ad qualitatem quidem aspera, leuis & temperata, sive ut Galenus dura, leuis, & mediocris. Ad quantitatem verò multa, pauca, & media, quarum omnium particulares extant operationes, quas quinque regulis, amplexus est Galenus loco præallegato. Prima est mollis & pauca frictio, quæ carnem aliquantulum remittit, ac facilè contrectabiliem, multa verò, & mollis euaporat, & liquat, mediocris, laxa, & fluida carne implet. Secunda est dura, & multa, quæ contrahit, constringitque corpora, & phlegmone quippiam persimile relinquit: dura verò, & mediocris, imminuta implet, & euidenter circumscripta, expressaque carne, & exigua, in summa cute ruborem ad tempus excitat. Tertia est dura & rara, quæ inspissat, & mollis, dura emollit, & spissa dilatat, dura enim colligit, & mollis soluit, & est quarta. Quinta verò est, quod multa subtiliat, & mediocris carnem generat. Vbi ergo præ nimia corporum raritate, constringere opus est: ne tam facile ab extrinsecùs occurrentibus ladanatur, dura utimur frictione. Dura verò & multa, vbi præ nimia mollicit, ad motus sunt inhabiles, imò ad paralysem, & stuporem sunt dispositi. Quæ verò coacta, & densa sunt corpora, hæc molli frictione, ac media, inter multam, & paucam pertractamus, vt fuligines, ac vapores exhalare possint, & obstrunctiones impedianter, sicuti molli, & temperatae quantitatibus, pro emolliendis duris corporibus. Diuturnos etiam capitis dolores leuat frictio, non in impetu tamen doloris, & eadem membra resoluta confirmat, licet saepius perfricandum sit aliud membrum, & maximè cum è summis, aut à mediis corporis partibus materiam euocare volumus, idèo extremas perfricamur partes: frictio enim tria præcipua commoda affert, & præserrim lenis, dum à partibus superioribus ad partes inferiores trahit, à membris nobilioribus, ad membra ignobilia, & ab intus ad extra. Quantitas autem sive perfricandi numerus, à viribus patientis desumitur: saepè enim in mulieribus, minus quam in viro, & minus in puer, & senecte, quam in iuvene, manus dimouendæ sunt. Et vbi totius corporis imbecillitas, hanc per totum exigat, breuior esse debet, & lenior, vt summam tantum cutim emolliat, quod facilius capax, ex recenti cibo nouæ materiæ fiat, & inter cæteras utilitates, quas præstat frictio, somnum etiam conciliat ex Galeni sententia xij, artis curatiuæ. [Frictio enim inquit non solum corpus purgat, sed etiam somnum provocat.] A ventris autem frictione quisque caueri debet, cùm quatuor maxima afferat incommoda quæ commemorat Galenus tertio de tuenda sanitate, coctionem enim cibi impedit, humores crudos in corpus transfert, ventriculun subuertit, & caput turbat, idèo maximè cauenda est.

C A P V T XXII.

De Balneis.

BAlnea quidem benè valentibus non pro-
pria est calida aqua, ne quispiam cupiat
elixari nam admodum refrigeratis, tantum
abest vt calida conueniat leuare, vt neque
etiam tepida, neque temperata, siquidem
aquam distinguemus in hoc casu, in calidam,
tepidam, temperatam, & frigidam. Porro
exemptis ægris, cum sua calida, atque aëre
omni balnei, qui naturæ nostræ inimicus
est: reliquum est vt de temperata, & tepida,
ac frigida loquamur: qualis antiquo tempo-
re, cum ætate aurea viuerent homines, pau-
ci boni, diu compotes, & hac ciuili, cum
magnorum bonorum participes sunt, sed
paruo tempore, & multis permistis cutis,
anxietasibusque, cum antea raro in mala in-
ciderent, nam diu viuebant homines, & lu-
ctus causa non aderat, neque iudex iniquus,
neque magistratus metuendus, nec penuria
annonæ, non doli, non venena timebantur.
Itaque huiusmodi hominibus, balnea qui-
dem tepidæ aquæ, maximè ab igne feruefa-
ctæ non conueniunt, non tantum quod te-
pida exoluant vires, & labefactent corpus,
sed quod refrigeratis, & more quasi bellua-
rum viuentibus, haud suauia videantur, sed
potius iuuabat detergere se frondibus fiscis,
ac mundioribus se iuuolueret: calefactis au-
tem, frigida gravior est. Tum verò, & ahena,
& lebetes, & vasa huiusmodi ignota cum es-
set, haud verisimile est potuisse illos vti aqua
qualicunque apud ignem calefacta, imò ne
voluisse quidem, & adhuc incerto (vt aiunt)
ignis vsu. Sed vtcunque sit, commodior illis
fuit frigidæ vsus, sub æstiuis ardoribus, aut
in umbra temperatæ: Ciuali autem homini,
adèo vsus balneariorum arridebat, vt nihil tri-
tius Romæ, & tota Italia thermarum nomi-
ne haberetur. Famosæ erant inter cæteras
Diocletianæ, & ante illum Antonini Caracalla, quas aliter fieri potuisse negat Spartianus,
dicens [Romæ reliquit thermas sui no-
minis eximias, quarum cellam solearem, ar-
chitecti negent posse villa alia ratione fieri,
nisi qua facta est. Nā ex ære, cupro, cancelli
suppositi esse dicuntur quibus concameratio
tota concredita est: & tantum spatij, vt id
ipsum negent aliter fieri potuisse docti me-
chanici.] Harum meminerunt Eutropius
quoque, atque Lampridius, sed hīc putat ab
Antonino, ab alio Antonino inchœatas, & à
parte Caracalla: postea non Caracalla ab-
solutas. Hoc satis esse debet, vsum adèo
fuisse frequentem illarum à populo, vt Impe-
ratorum præcipiam curam ad se traxerit, ne-
que solum publica hæc cura, sed priuata
etiam: Cicero monet fratrem, quod in Ar-
pinati extruerat balneum. Dicitur balneum
neutro genere, in singulari (si quid ad rem
hoc intellexisse præstat) in plurali fœmini-
no, vt publicæ balneæ: quoniam inquit Var-
ro, vbi multitudinis nomen increbuit, plurali
vñimur, vt fœminino genere, vt scalæ, &
aqua

*Balnea è ca-
lida non pro-
sunt aqua.*

*Tepida vires
exoluunt.*

*Frigida ca-
lefactis gra-
tier.*

*Thermæ Ro-
ma famosa.*

*Balneum dif-
fert à ther-
mis.*